



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

Festum Omnium Sanctorvm. 1. Novembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

hæc enim habet S. Gregorius Naz. de S. Stephano. *Majus aliquid Deo morte offerens nempe animi moderatorem, & inimicorum dilectionem.* Greg. Naz.



NOVEMBER.

FESTUM OMNIUM SANCTORVM.

i. Novembr.

*Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Paul. ad Hebr. cap. ii.

**I**N nuce iliadem, in pagella, inquam, omnes Sanctos tenes. Cæterum quæ festo huic diei origo fuerit, lubet denarrare. Et principio id constat, cum Deos jam Romani plures ferè quàm homines numerarent, fanum exædificasse, in quo totus Deorum Dearumque grex stabularetur, & hoc ipsum ex re Pantheon dixisse. At anno, postquam Dii omnes uni celsere Deo, nono supra sexcentesimo, Bonifacius IV. PP. vacuum à dæmonibus locum lustrare aggressus, rectiùs hunc Virgini Matri & Divis Martyribus sacrum voluit esse. In eam rem

rem X  
cum t  
indu  
sancti  
annu  
firmu  
sanxi  
do,  
quod  
coelo  
clesia  
die v  
exor  
Nam  
do u  
Roma  
I  
i. V  
qui p  
met  
frau  
mac  
van  
Am  
2  
divi



rem XXVIII. Divorum ossibus onustos currus  
cum triumpho quam potuit splendidissimo  
induxit, simul ut illo ipse dies festus Romæ  
sanctusque esset, imperavit. Idem postea sub  
annum Christianum octingentesimum trige-  
simum quintum, Greg. IV. per Occidentem  
sanxit, eam potissimum ob causam, ut, quan-  
do, tum ob numerum innumerum, tum  
quod virorum sanctorum pars longè maxima  
coelo, non item terris nota est, non potest Ec-  
clesia singulis diem donare, certè omnes uno  
die veneretur. Atque hæc sunt diei hujus festa  
exordia. Tu, si sapias, numerum auge beatorum.  
Nam ex omnibus Divis nisi tu etiam aliquan-  
do unus es, heu! nullus es. *Ex Baron. & Mart.*

*Roman.*

## MEDITATIO.

### *In Festum omnium Sanctorum.*

1. **V**ita Sanctorum plena fuit ærumnis; etenim ut  
vel ab inimicis Christi vexati sunt, vel à Deo,  
qui probavit eos, tanquam aurum in fornace, vel à se-  
metipsis, quoniam non modò licitis voluptatibus  
fraudarunt sese, sed carnem suam acerrimis doloribus  
macerarunt. *Non natura præstantioris fuerunt, sed obser-  
vantia majoris, nec vitia nesciverunt, sed emendarunt.*  
*Ambr.*

2. Sancti omnes læti ac hilares semper vixerunt,  
divina enim gaudia, quibus superabundabant in tri-  
bulatio-



bulationibus suis, pellebant omnem corporis dolorem. Hos velim videas, tum in feralibus pegmatibus tum in solitudine. Hic præ cœlestium consolationum copia, lacrymas tenere non possunt: illic rident vel in mediis ignibus. Tanta est Dei liberalitas, ut sanctos voluerit, etiam hac in vita æternæ felicitatis delicias prælibare.

3. Si tanta fuit suavitas in terra, quæ quidem exiliis præliorum & laborum locus est, quanta erit in cœlo, patria nostra, ubi triumphus præparatur? ibi malis omnibus vacui bonis omnibus redundabimus. Deum quippe possidebimus. Audi, quid sancti dicant: non est facilius ad cœlum via, quàm quæ nostris, & Christi vestigiis trita est. *Non hic quæras, quod nullus sanctorum obtinuit, quod nec Christus &c.* Euseb. Emisl.

## COMMÉMORATIO FIDELIVM DEFVNCTORVM.

2. Novembr.

*Beati mortui qui in Domino moriuntur. Apoc. 14.*

**P**lētas lacrimas, Mariane, oculis tuis obijcimus, ut his oratoribus tibi exprimamus veras & quibus opem non fictæ calamitati feras, nec jam pictos extinguas ignes. Id porro quàm meritò facias, ex annalibus D. Dominici